

giliis Nativitatis; si per solum Mensem steterisset, se Aquilegenſi Eccleſiæ dedisset. In cujus adventu tractata fuit pax per dictum D. Nichilum de Maniaco inter prædictos de Portunaone, & dictum Dominum Patriarcham Aquilegenſem: & isto modo sub ipſo Domino Patriarcha omnes de Contrata in fidelitate permanſerunt; cujus anima ſemper requieſcat in pace, Amen.

Post vero dicti Reverendiſſimi D. D. Marquardi digniſſimi Patriarchæ Aquilegenſis obitum, Reverendiſſimus in Chriſto Pater & D. D. Philippus de Alenconio, miſeratione divina Episcopus Sabinenſis S. R. E. Cardinalis, in Patriarcham Aquilegenſem in Commenda per Sanctiſſimum in Chriſto Patrem & D. D. Urbanum Papam miſſus & acceptatus fuit, & receptus per Civitatenſes, & alios quamplures de Patria; cum quibus erant Domini de Spegnimbergo, de Sacilo, de Canipa, de Aviano, de Pulcinico, de Miduna, (a) de Tulmetio, & cum parte Carneæ, ſed non omnes unanimes; & illi de Cadubrio, quia D. Philipponus della Turre erat Capitaneus ibi; illi de Glemona, de Valvaſono, D. Ambroſius Episcopus Concordienſis, de Cucanea, de S. Daniele, & multi alii. Terra vero Utini ipſum D. Philippum Cardinalem in Commenda acceptare recuſavit; propterea quod prædictus Cardinalis litteras ejus miſit per totam Patriam; & fecerunt eorum Colloquium in Civitate Auſtriæ, ubi prædicti omnes, videlicet Civitas Auſtriæ cum ſuis adhærentibus ipſum habere decreverunt in eorum Dominum, & Paſtorem.

Utinenſes vero cum eorum etiam ſequacibus in Commendam habere recuſantes, cum quibus nos de Maniaco. Videlicet ad principium miſſus fuit per ejus Fratres & Conſortes prædictus D. Nichil de Maniaco Utinum, qui ibi (b) intravit & promiſit, cum Utinenſibus eum nolle habere in Rectorem ac Dominum, niſi eſſet creatus verus Dominus, & Patriarcha, vel quod pileum Cardinalatus non abjiceret, & per conſequens per futura tempora tanquam Patriarcha verus in Patria poſſet habitare: & ſic libertas Patriæ totaliter foret (c) perdita dicentes: melius eſt, quod Patria deſtruatur, quam libertas amittatur. Et isto modo in quacumque Civitate, Caſtro, & Villa partes magnæ ortæ ſunt de fratre ad fratrem, de conſorte ad conſortem, de patre cum filio; & non ſolum inter homines, verumetiam inter mulieres, tam civiles quam rurales, tam parvas quam majores: nec erat Civitas, Caſtrum, Villa aliqua, in qua non eſſet pars & diffidium inter ipſos. Et ſuper his per Utinenſes & eorum partem miſſi fuerunt Ambaſciatores ſæpius ad ſummum Pontificem, ut verum Dominum Patriarcham deberet mittere in Patria more antiquitus obſervato: vel quod iſte Dominus Cardinalis ejiceret Capellum Cardinalatus. Et Dominus Papa ſcripſit in contra, ut eum deberent acceptare: & quod intitulus erat in ſuo Sigillo isto modo: *Philippus de Alenconio Episcopus Sabinenſis S. R. E. Cardinalis Patriarcha Aquilegenſis*. De hoc dicti Utinenſes & eorum pars non fuerunt contenti, & ſæpius miſerunt ad D. Ludovicum Regem Ungarorum, recipientes (d) pro eorum Capitaneis quamplures de fidelibus dicti Domini Regis: & ſic finaliter orta fuit lis & diſcordia inter ipſos Civitatenſes, & Utinenſes, & eorum complices.

Tom. II.

(a) Cod. Maniac. de Tulmetio cum parte Carneæ, nam omnes non erant unanimes.

(b) Cod. Maniac. juravit.

(c) Cod. Maniac. foret ſecura.

(d) Cod. Maniac. requirerentes.

Tunc mortuo Domino Rege, Utinenſes tractaverunt ligam habere cum Ducali Dominio Venetiarum, & cum D. Antonio della Scala Domino Veronæ. Qua liga facta, tunc Utinenſes ſentire voluerunt ab omnibus de Contrata, qui cum eis vellent eſſe pro manutenendo libertatem Patriæ: & quod iſte Cardinalis non foret receptus in Commendam, niſi ejiceret Capellum: vel quod alter verus Patriarcha detur Aquilegenſi Eccleſiæ, ut libertas non amiſſa fuerit. Cum quibus Utinenſibus illi de Sacilo, de Canipa, de Aviano, de Cordevato, de Spegnimbergo, de Valvaſono, de S. Daniele ſe volentes, promiſerunt contra ipſum Dominum Cardinalem cum Utinenſibus. Qui Cardinalis continue moram trahebat in Civitate Auſtriæ. Tunc lites, & diſcordiæ oriri cœperunt in Contrata. Et Ducale Dominium Venetiarum incepit ſcribere gentes, & mittere unum de Venetiis probatiſſimum Deputatum ad regimen Terræ Utini, & eorum partis, & guerræ. Et Dominus Veronæ unum miſit, qui pro eo gentes faciebat, & ſcribebat. Civitatenſes vero ligam & unionem fecerunt cum D. Francisco de Carraria Domino Paduæ, Tarviſii &c. Et ipſe Dominus Paduæ ligam fecit cum Domino Comite Virtutum Domino Mediolani contra ipſum Dominum Veronæ, & ad ejus deſtructionem. (e) Et in Contrata Fori Julii Utinenſes cum eorum gentibus iverunt ante Glemonam cum exercitu, & Terram depugnantes, domos comburentes, vites detruncantes, & finaliter deſtruentes: ſe parti Utinenſium dederunt. Et ſic proceſſum fuit contra Tulmetinos, & ſe parti dederunt; quia in Terra multi erant amantes partem Utinenſium: & ſic tota Carneæ lætanter ſe cum parte Utinenſium poſuerunt. D. autem Philipponus della Turre uno die dum Caſtrum Plebis exiſſet, volens ire ad alium locum, captus fuit, & præſentatus Utinenſibus; propter quod loca dare eum oportuit Utinenſibus. Et isto modo guerra inſultavit graviſſima inter ipſos Civitatenſes & eorum partem ex una, & inter Utinenſes & eorum complices ex altera. Ita quod Utinenſes multotiens ibant cum eorum campo & gentibus Civitatem Auſtriæ, eos fortiſſime deſtruentes: & ſic magna ſcandala, & interemptions hominum, incendia domorum, captiones hominum orta fuerunt & ſubſecuta, & alia graviſſima, quæ omnia poſſe narrare longum quidem eſſet. Et vere Utinenſes ſæpiſſime Civitatenſes cum eorum potentia ſuperaffent: ſed dure procedebant pro poſſe eorum, ad eorum & aliorum de Contrata deſtructionem, ut bene poterant, & potuerunt ſæpius. Civitatenſes ſemper cum blandimentis, & variis voluntatibus, & verbis blandis, cum videbant ſe ſuperari, mittebant ad Utinenſes eorum Ambaſciatores, dicendo unum & aliud; cum videbant ſibi tempus, faciendo & de illatis propoſe vindicando.

Et dum D. Rizzardus de Valvaſono poſitus eſſet Capitaneus in Terra Portusgruarii, abjecto Nobili D. Albertino de Spegnimbergo, qui ibi fuerat Capitaneus per dictum D. Philippum de Alenconio; D. Franciſcus de Carraria oſtendens, ſe huic liti velle interponere, tractatum fuit inter Utinenſes, & ipſum Cardinalem & Civitatenſes, quod partes ſe in eum compromiſerunt: & ſententiavit, quod ſub pœna decem millium Ducatorum quilibet obedientiam faceret ipſi Domino Cardinali inter ſpatium dierum ſex; & darent omnia loca, & Fortalitia ipſi Domino Cardinali. Et occulte ipſe Cardinalis promiſit, ſe daturum ipſi Domino Paduæ, Sacilum, Portumgruarium, Montemfalco-

m

nem,

(e) Cod. Maniac. Et D. Cardinalis fugam de nocte cepit, & iverat Paduam.